11.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis primâ Martii M. DCC. XXXI.

M. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE, Doctore Medico, Præside. autore.

An statim à Pastu Somnus?

I.



OMUNCIONEM te Omnipotentis fugit existentia? aut ipsam nimis ingratus negas? In Cœlum vertas Lumina, Annorum seriem, variosque Tempestatum recursus vel unico oculorum ictu intuearis. Hæc, quæ credas, docebunt. Parcus interim Numinis cultor & infrequens, obstinatus obdurescis! nec te movet mirabilis Universi fabrica! temetipsum curiosus indagator scruteris; & digitum Omnipotentis vel invitus agnosces. Ad quid enim Elementorum mixtura tam

exquisita? unde stat universus Orbis? illorum tam justum & varium pro vario habitu, alterius in alterum prædominium? undè Temperamenta? Liquorum per canaliculos totum Corpus irrigantium flumina? undè liber purpurei Laticis circuitus? à quo pendet functionum integritas, nisi ut Divini Numinis Potentiam stupeas? Interim nobile Supremi Conditoris Opus citò deficeret, nisi ipsius dispendium succo nutritio resarciretur. Hinc Cibi Potûsque appetitum cuilibet Animanti insevit Natura. Horum promptuarium Ventriculus, quod accepit cum fœnore redditurus, ad universarum Corporis partium commodum & conservationem, quæ à functionibus pendent. Has firmiores & ad agendum habiliores conceperis, quò laudabilior minusque spissus fuerit Chymus è Ventriculo repetitis Solidorum ictibus communi Liquidorum alveo committendus.

I I.

STOMACHUS, Machinæ humanæ utilis si quæ pars, cæteris vectigal pensitat. Ipsum annona premit? languent. Omni succo defraudatæ? pereunt. Verum enim verò Chyli beneficio mutuo inter se vivunt commercio. Unde partium consensus & harmonia. Hunc publicum Fiscum dixeris, qui in se communem victum recondit, à quo pars quælibet suum mutuatur. Si oblitus muneris crudum & indigestum succum suppeditaverit, quanta inde malorum labes! omnia pessum ibunt. Cave enim credas primam coctionem ab alterâ posse corrigi. Chylo conficiendo non solus vacat Ventriculus; Os, Oesophagus & subjectæ Partes Glandulis quibus scatent ipsi opitulantur. Ex iis enim continuò depluit succus qui Alimentorum partes in minima dividat & in pollinem vertat. Si verò Chylum crudum potiùs quàm defœcatum suppeditaverit, hunc ebibent longissimo Intestinorum tractui adjacentia incernicula: unde Viscerum tensiones, Glandularum infarctus quamplurimi; Abcessus, Phlogoses & motus Sanguinis inordinatus, undè morborum Iliades. Cave igitur dum communi partium Corporis bono vacat, ipsum vel minimùm læseris si te Sanitatis cura tenet.

I I I.

SOMNUS reficiendo Corpori dicatus est; hunc Mortis imaginem dixere quod tunc jaceat iners Corpus, functionesque ferientur; vix enim per somnum micant Arteriæ, nec-non solito minor est Sanguinis circuitus motu Solidorum oscillatorio longè remissiori, undè Succus Nerveus aut Spiritus Animales (idem enim sonant) qui Nervorum propagines ad motum & sensum meare debent, sepulti torpescunt & inglorii, undè nec sentit, nec movetur Machina; vegetiùs tamen statim à somno ad solitum reditura munus. Functionum igitur alacritatem fove si sit cura tui. Sed quietis tempus eligas opportunum; Ali-

menta enim in Ventriculum ingesta, sive solida, sive liquida, motu egent non pauco, ut ipsorum compages solvatur feliciter futura Chyli materies innoxia. Cave, tam nobile Naturæ munus, ope acidi fermenti absolvi putes, (hoc, totum opus acore suo inficeret) sed Lymphæ limpidæ & diluentis quæ Chylo fluiditatem conciliet. Hinc Natura sagax & provida Stomachum quasi fluctuantem voluit, ut suarum fibrarum contractilium ope, majori motu sed placido donaretur, nec sui aliis Partibus adhæsione, aut vicinorum Viscerum pressione, in operando turbaretur.

IV.

HUNC quem agimus diem cum Morte dividimus. Hinc vigiliæ & somni necessitas; illâ Corpus exercetur, hoc reficitur. Dum membra turpi veterno colligata flaccescunt, hebescunt sensus, eò vividiores surrecturi, quò fuerit digestio felicior. At quod juvat, sæpe nocet. Alimenta statim ingesta, nec partium divisionem passa, succi digestivi quantitate indigent plurimâ & Ventriculi contractilium fibrarum motu vividiori; Alimentorum enim moleculæ tunc Stomacho resistentiam opponunt solito majorem, nonnisi auctioribus Solidorum ictibus vincendam: hinc ingestorum mutantur superficies, solvuntur moleculæ vel rigidiores, ad tritumque debitum fit dispositio: ast si Somno indulgeas, quid inde? fibrarum elatere sopito, suppressâ succi digestivi debitâ quantitate, musculorum Abdominis remisso motu, rudis in fundo Ventriculi indigestaque stagnabit moles morborum futura materies vel infelix; hinc Succubus & Incubus quos Divinus Senex Apoplexiæ prodromos pronunciat; inde secernendorum minus habilis dispositio, & ad omne febrium genus purpurei Laticis pronitas & tendentia. Quid enim ab inspissato Sanguine non expectare est?

V.

FIRMA Sanitate gaudere cupis? debito Liquorum motui & Fibrarum elasticitati servandis invigila; licet enim Mortales una maneat Nox, semelque calcanda sit Lethi via, non singulos tamen æquo pede pulsat nec simili Fato. Horum ociùs, illorum seriùs versatur Sors, ad tempusque tardari potest fatalis moriendi necessitas, debito potissimùm rerum non naturalium usu. Has inter locum tenet non infimum, Somnus. Hic fessa labore membra levat, Pauperes Divitesque beat æqualiter, modo ritè adhibitus; Somno ergo utere, non abutaris. Cibus in Ore quassatus per Oesophagum ad Ventriculum defertur, ibi solvitur & Glandularum succo turgidus amat digeri; coctionis jam tenes rudimentum? Interim succussu & ulteriori partium evolutione indiget ut in Chylum abeat. An tunc feriari Naturam putas? errare est. Instrumentis adjuta suis totis laborat viribus ut quod inceptum, perficiat. At si statim à pastu dormias Stomachi

Fibræ contractiles flaccescunt, Ventriculus laxatur, & Succus digestivus intrà Glandulas coercetur; Itane Chylus opus mirabile perficitur? Absit; Motu non quiete opus est.

Ergo non statim à Pastu Somnus.

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS-MARIA POUSSE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1731. à sextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1731.